

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotee.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.3. Exactior rerum propositarum & usui propior contemplatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](#)

clavis affixus est, ut nos ad pœnitentiam longarimenter preſtola-  
retur. Ex omni corpore ſuo manavit ſanguinem, ut largiter no-  
bit potandam præberet præcipuum ſui pretiosi ſanguinis medici-  
nam. Chriſti c. 36. Ingenia vagab. ſuſcepit vulnus; ut patulum acceſſum  
ſecurūm, latibulum in illis ſemper habeamus, ab omni tentatio-  
num afflictionū, impulſu. Latus ſuum confodi permifit, quā  
viam nobis ad cor ſuum patefaceret. Demifit caput, quō paci-  
nobis reconciliationisq; & amoris præberet oſculum. Qui ip-  
ſe. 16. tur poſt hac (ſubdit idem author) tam in uitij obdurateſſa,  
ut cuncta hac amoris ſigna eum non excitant, ad reddendam di-  
cem quantam poterit, amori huic incomprehenſibili? Quel-  
rē omnia ex eodem authore refert Bloſius in Dominicæ Pa-  
lionis explicatione.

## §. 3.

*Exæctior verum propositarum & uſi propior  
contemplatio.*

**A** Des igitur fidelis anima, & ex horum Patrum imitatio-  
ne, ſi quando id tibi exercitijs allubuerit, tria hæc pre-  
ſertim in Amore tuo cruciſixo, *caput inclinatum, corpus ex-  
tensum, latus apertum*, velut præcipuas sancti amoris illeco-  
bras, attentius contemplare.

Moribundus nimirum caput inclinat, ut tibi amoris  
& pacis oſculum figat; ut oppreſſam cervicem in te recli-  
net ad quietem; ut coronam ſpineam, velut cauſâ mortis,  
tibi condonet; ut diſceſſurus ē mundo tibi valedicat, iuici-  
commendet memoriam, ut pauca hæc ad aurem cordis tui  
iñſuſret: dilecta anima, ego D E U S tuus en morior amo-  
re tui. Attende & vide, ſi eſt dolor, ſi amor, ſicut dolet,  
ſicut amor meus. Tandem moritur inclinato & propenſo  
in te capite, ut tu ſpiritu morientis excipias, ejusq; ſpiritu  
concepto, jam non tibi, ſed ei qui ita te amavit, & pro te  
mortuus eſt, viuas.

Pott

Porrò quod distentis in cruce brachijs, & manibus item ac pedibus ligno confixis, toto expansus est corpore: quid, nisi ad se se invitat, præstolatur; pœnitentem animam, genua etiam protendens, ut aram salutis & thronum misericordia, promptus deniq; & expositus, ad omnium ad se confugientium & se ex animo requirentium amplexus?

Nisi forte eum hic contempletur (cum B. Jacopono) *L.5. Cant. 17.*  
veluti divinum sagittarium, cuius arcus sint sacratissima  
ejus brachia in arcus morem in cruce curvata, pharetra au-  
tem non alia quam apertum cor ejus, capax illud quidem,  
& telis refertum innumerabilibus, iisdemq; acutis & igni-  
tis, inflammatissimæ charitatis. Hic enim si uspiciat valet  
illud S. Augustini: *Novit Dominus sagittam ad amorem s.* In psal. 119.  
Ipse utiq; sagittarius, ipse arcus, ipse sagitta: Unde Ambro-  
sius: *Pulchre ergo dicit Ecclesia: quia vulnerata charitatis ego Serm. 5. in-*  
*sum. Nudemus membra nostra bono vulnери, nudemus sagittæ psal. 118.*  
*sagitta bac Christus est, qui dixit: Posuit me sicut sa-*  
*gittam electam. Bonum est ergo hac vulnerari sagittam, &c.*  
Quanquam & ipse vicissim in cruce videtur nudare pectus  
nostro vulneri. Quippe positus in signum, cui adhuc à mul-  
tis contradicitur: nobis autem factus scopus amoris; ut  
gratia vicissitudine vulneremus simul & vulneremur, atque  
ita amore mutuo ac desiderio langueamus.

Tandemq; (quod erat extreum) grandi vulnera hi-  
ans atq; diductum latus ostentat, ut aperto aditu subingre-  
diaris, ac pervenias ad cor ejus, ad libera amoris ultro ci-  
trōq; commercia; ibiq; amanter fidenterq; loquaris ad cor  
eius; ibi pascas, ibi cubes in meridie; demum ut in illa  
exæstuante divinæ charitatis fornace, prospicias tandem &  
quasi palpes magnitudinem amoris ejus, qui dilexit te, &  
tradidit semet ipsum pro te; simulq; accusas torporem, &  
inertiā cordis tui, ut qui tantæ rāmq; incense charitati,  
tam malignè haec tenus rāmq; frigidè responderis.

N n 2

Harum

Harum contemplatione rerum, ubi ad extremum commoveri animo sese senserit Asceta, tum ipsam Crucifixi effigiem sumat in manus, & vulnera aut membra Christi singula deosculari occipiat, sanctis affectibus & amori praestim indulgens, inq; singulorum complexu aut osculatione morosius insistens.

Complectatur, exempli gratia, speciosos pedes, tot fatigatos itineribus, ad se ovem perditam requirendam. Amplexetur genua, pro se toties in oratione submissa. Stimugat manus illas beneficas, & mortalibus omnibus salutari. Exosculateur cor, nunc crudeli compunctionum lancea, sed atea semper amore nostri dolorēq; amarissimo vulneratum. Et ita de alijs.

Quibus addi potest reliquorum sensuum interiorum applicatio, secundum formulam capite sequenti subjectam. Inter quæ ea proloquatur, quæ suus cuiq; suggesteret animus, ipsa contemplationis dulcedine atq; efficientia communus. Est enim istius exercitationis ratio sanè quam prona & obvia, neq; multo discursu aut operosa agitatione mentis indigens; sed simplici quadam intuitu, varios per se animi motus affectusq; conciens atq; progignens; uti mox amplius declarabitur.

## C A P U T X.

*Interiorum sensuum circa Christum Crucifixum applicatio.*

### §. I.

*De ejus exercitiij ratione generativi.*

**H**oc genus facilis, atq; adpios animi sensus conductibilis exercitiij suggesterit nobis S. Ignatius. in suorum exercitiorum hebdomadā secundā, ubi post alicujus mysticū

*Primi. die  
contempl. s.*

17